



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Rivales feminarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tia est, non injuria, si plusculum quid feminis permittitur & defertur; Nescit, quid decus sit, qui dedecus, ex æmulatione cum tunicata hac gente, accepisse se putat.

IV. (d) Gloriam virtutis suæ Meleager Atalantæ transcripsit, & rivales concitavit. Mira res! quòd viri suos triumphos in mulierculas referant, & trophæa ex arundine suspendant. Et quid aliud eveniat inde, quàm ut illæ caligatæ, gladiatæ, galeatæ, cristatæ incedant? Quid feminæ cum aprorum exuvijs? Hoc est, quod sexum hunc ferocem reddit; quod Atalantas in tumorem dat, & vultus, ne Herculi quidem sustinendos, tunc præsertim, cum Deianiræ, colum ducere cœpit. Et quoties pro formosiore paulò juveneula rivalium concurrunt gladij in pugnas, vulnera, cades. Pudendum, quòd etiam heroës, qualis Meleager fuit, in hanc servitutem degenerent! Pro *Briseide*, Lymessia puella captiva, quantas inimicitias susceperunt Achilles & Agamemnon? Pro *Lavinia*, Latini regis filia, quas strages ediderunt Turnus & Æneas? Meleagrum, si verum fateri velimus, non tam fatalis Parcarum torris igne crematus, quàm ardentior in Atalantam amor combustit.

V. (e) Althæa, quid magis impium? ut fratres ulcisceretur, suum ipsa filium perdidit. Deinde saga fuit, magicis artibus in proprium sanguinem grassata. Tertio, cum ignis igne fuisset plectendus, & venefica rogo comburenda, prævenit carnificem, & violentas sibi manus intulit:

Nam de matre manus diri sibi conscia facti

Exegit pœnas, acto per viscera ferro.

VI. (f) Althææ Meleagrum parienti apparuerunt in regia *Parca*, quæ fata infantis ita ediderunt. *Clotho* dixit, eum *generosum* futurum: *Lachesis* fortem; *Atropos* titionem ardentem aspexit in foco, & ait: *Tamdiu hic vivet, quamdiu titio hic non fuerit consumptus.* Hoc Althæa mater auditò, exilijs de lecto, atque titionem extinxit, eamque in medio regis loco, obruit terrâ, ne ab igne invaderetur. Eum deinde torrem ob fratres interfectos protraxit, igni imposuit, & cum conflagrante, vitam filij extinxit. Hoc solent devotæ Tartaro *Canidiæ*; sigillis cereis, laneis, cretaceis, luteis exercent veneficia, ita pharmaceutria apud Maronem eclog. 8. loquitur, & agit:

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquefcit

Uno, eodémque igni: sic noster Daphnis amore.

H h 2

De

(d) Rivales seminarum. (e) Sagarum malitia. (f) Licantatonia luxuria.